

DE MODESTIA
RELIQVAVVM VIRTVTVM OMNIIVM
COMITE

PAVCA PRAEFATVS

GRAVISSIMVM SE-
NATVM

REIPVBLICAE CAMITIANAE CETEROSQVE
PATRONOS

REIQVE SCHOLASTICAE FAVTORES

AD AVDIENDAS

ORATIVNCVLAS VII.

DEMISSE ET PEROFFICIOSE

INVITAT

M. IOHANNES FRIDERICVS VOIGTIVS,

LYC. CAM. RECTOR.



Philos.

C.
232,54

D R E S D A E,

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

DE M O D E S T I A
R E L I G I O S I S S I M I S
C O M I T E

P A V C A P R A E S I D E N S

G R A T I S S I M I S
N A T I V I T A T I S

E R I C I P R I N C I P I S
P A T R I A R C H I S

R E I G I O S I S S I M I S P A T R I A R C H I S

A D A N N O

G R A T I S S I M I S

P R I N C I P I S

1717

M I C H A E L I S P R I N C I P I S



A N N O

P R I N C I P I S



Irifice mihi quidem placuit fabella, quam habet *Des-*
billons, fabular. Aesopiar. l. III. n. XLII.

Varias virtutes cum creasset Iupiter,
Quae dulces homini et vtilis comites forent,
Produxit vltimam omnium modestiam.
At ipsi in homine nulla sedes est super
Relicta, quam non de sororibus suis
Aliqua occupasset. Quod animadvertens: Tibi
Nullam quidem, inquit Iupiter, sedem licet
Habere propriam, his ceteris qualem dedi:
Sed istae quoties emicare coeperint,
Te simul adesse iubeo; ne quid audeant,
Quod non tuo ipsa more blando temperes!

*Hinc vsque laude vera virtutes carent,
Quibus MODESTIA pretium non addidit.*

Quemadmodum ipsa virtute vera nihil formosius, nihil pulchrius,
nihil denique amabilius excogitari potest: ita pudor ille honestus,
σωφροσύνη vocant, claram et stabilem virtutibus singulis comparat



auctoritatem, quae, quo magis occultatur, tanto magis lucere ipsa per se, et splendere etiam in tenebris solet.

Sed modestus videri frustra voles, nisi diuinum illud Γνωθὶ σεαυ-
 τόν probe didiceris, quod quidem, vt longe maximum, ita pro-
 fecto difficillimum a sapientibus censetur rectissime. Homo, cum ipse
 in se descendit, sui que ortus memoriam reuocat vltimam, satis quidem
 intelligit superque, se magnum aliquod atque diuinum esse, non
 propter naturae solum *animi*, particulae illius aurae diuinae, excellen-
 tiam, quo quidem ab optimo et sapientissimo conditore mortalibus ni-
 hil datum est melius, sed et propter fabricam *corporis* plane admirabi-
 lem, cui Deus, *laudante Tertulliano*, sese ostendit totum quasi deditum
 et occupatum fuisse manu, sensu, opere, consilio, prouidentia, sapien-
 tia, omnique denique affectione, qua et dictauit lineamenta, et singu-
 las corporis partes non ad vsum modo, verum etiam ad venustatem ita
 distinxit, vt nihil omnino frustra conditum esse deprehendatur. De qua
 dignitate et praestantia naturae humanae quoties cogitabimus attenti,
 cogitare autem omnes quam saepissime decet, toties tanto munere diui-
 no dignum aliquod faciendum putabimus, operamque dabimus se-
 dulo, ne corpus, vas illud et receptaculum, in quo animus a Deo
 conclusus est, labe quadam aut turpitudine deformemus, potius ani-
 mum vna cum corpore, ipsius Dei virtute, castum, integrum, et
 ab omni petulantia et libidine purum conseruemus.

Sed quis, quaeso, tanto ingenio, tantaque animi facultate prae-
 ditus est, vt hominis morbos atque calamitates non dicam oratione,
 sed mente et cogitatione complecti queat? Hem! quantum est, quod
 nescimus? quantum, in quo quotidie labimur per errorem? quan-
 tum, quod perperam facimus et nequiter? quanta in colenda virtu-
 te socordia?

Quod

✿ ✿ ✿

Quod quidem cum boni omnes cognitum satis perspectumque habeant, *modestiam, sapientiae prolem, et reliquarum virtutum comitem* amant vnice, omnemque ostentationem et iactantiam fugiunt cane peius et angue. Quo enim quisque modestior est atque submissior, eo tutior viuit atque beator. Securitas, Seneca iudice, a modestia, periculum semper ab insolenti fastu fuit.

Quid autem homine superbo atque elato inueniri potest deformius? Talis profecto sese adorat solum, nec raro orbis terrarum imperium suo supercilio, vt Atlante caelum, niti credit, nec meminit se hominem ex argilla fictum, quin immo suam e caelo repetens originem se ex aëtris delapsam existimat. Quanto iste se iactat incessu? quibus nos intuetur oculis? qua voce, si modo loquitur, prae se contemnit omnes? Adhuc orbis alit Alexandros, qui diuinos sibi decerni honores et in numerum Deorum referri cupiunt. Nec periit proles Xerxis, qui superbia et fastu ad insaniam paene redactus vincula et compedes minatus est mari: quid dicam minatus? compedes in mare coniici iussit quasi captiuum et regis Persici seruitio mancipatum. En impiam incredibilemque audaciam! Sed dic, Rex insolentissime! quanto stetit tibi tanta animi iactantia? quanto furiosa ista temeritas? Qui manus impias ab Oriente ad Occidentem extendere, montes in planum deducere, templum Apollinis diripere, Neptuno compedes, Caelo tenebras minitari et Hellespontum nauibus tuis sternere ausus es turpiter, nonne, numerofo exercitu tuo profligato ab exigua manu, et clade accepta nauali, vix cymbulam male superbus inuenire potuisti, qua euadere, et fugitiuus non sine summa ignominia in Asiam reuerti posses?

Omnes quidem, ingenue fateor, trahimur laudis studio, et quo melior quisque est et virtute praestantior, eo magis animus eius ad immortalitatem gloriae contendit. Summa vero et perfecta gloria, quae,



quae, iudice Tullio, nihil est aliud, nisi consentiens laus, bonorum, et vox incorrupta bene, de excellenti virtute iudicantium, ex his tribus maxime constat, *si ab hominibus, praesertim bonis et sapientibus, diligamur, si ab iisdem honoremur, si fide digni habeamur.* Hominum itaque genus cum ad honestatem natum sit, leuis profecto et angusti animi esse videtur, veram repudiare gloriam, in qua verae virtutis fructus est honestissimus; improbi autem et malo cultu prauisque opinionibus corrupti, ignominiam et contumeliam fugere nolle. Sed vsu tamen habemus compertum, non paucos saepissime homines transuersos agi, neque tam gloriam ipsam, quam umbram quandam virtutis simulatae consecrari, quando nimirum boni videri, quam esse, mali autem esse, quam videri, malunt, quos

Falsus honor iuuat, et mendax infamia terret.

Plurimum itaque refert; scire, quaenam vera gloria, et quae ad eam perueniendi via sit rectissima? Quod quidem praeclare admodum intellexisse mihi videtur princeps ille Philosophorum Socrates, qui hanc viam ad gloriam esse dixit proximam et quasi compendiarium: *si quis hoc agit, ut talis sit, qualis haberi velit.*

Modestus quisque hoc non ignorat, veram gloriam in vera virtute positam esse, qua qui plurimum praestat, is maxime excellit laudibus, et hanc quasi mercedem studii ac laboris sui tandem reportat. Sed quemadmodum haec ipsa gloria virtutem, ut umbra corpus, consequitur: ita profecto animi modesti est, nunquam de suis sese iactare virtutibus, neque easdem velut venales exponere merces, potius diligenter inuestigare et perscrutari, quid mancum in iis, quid tantum inchoatum, nec vlla ex parte perfectum videri possit. Quod si quid vero nonnullam omnino mereatur laudem, nonne, quicquid boni est, a summo proficiscitur bono, cuius beneficio nos sumus et
 spi.



spiramus, et ex cuius voluntate, tanquam e purissimo omnis salutis fonte, omnes virtutes hauriuntur humanae.²

Sic igitur vobis persuadeatis, *vos, disciplinae nostrae alumni*, si boni haberi voletis; quis autem vestrum est, qui non se vel optimum esse cupiat? inprimis operam dandam esse, ut tales fitis, quales videri vultis! Quod quidem vos nec vlla ratione melius consequi poteritis, *quam sapientiae ab ipso Deo profectae, nec non reliquarum virtutum omnium, quas vestra modestia commendabit mirifice*, studio indefesso. Laudem vobis, fauente Numine summo, comparare studeatis non animi tantum dotibus et ingenio, sed in primis pietate in Deum, in qua virtutis et laudis decus optimum est positum, tum probitate et observantia in parentes, praeceptores reliquosque viros honestos et bene de vobis merentes, tum benevolentia et humanitate erga familiares reliquosque, cum quibus vobis consuetudo erit, diligentia denique in tractandis litterarum studiis. Nihil in vobis fictum aut fucatum fallat oculos; in omnibus rebus vos potius commendet morum integritas a turpi fastu quam maxime abhorrens. Sic fiet, ut animus vester, tanquam ager foecundus ac fertilis probe subactus, conceptis litterarum virtutumque seminibus, segetem aliquando proferat consiliorum et factorum honestissimorum, quorum laus ingenua, perpetua, et gloria denique immortalis est futura!

Sed dicenda nunc erit res, cuius causa haec tumultuario quasi conatu differui.

Sunt nonnulli e discipulorum nostrorum numero in arenam producendi, qui, si pauca dixerint decenter, forte sat laudis reportabunt modesti. Sunt autem hi:

I. CHRISTOPHORVS AVGVSTVS a SAHLA, Eques Misn. antiquitate generis et gloria maiorum aequae ac sua virtute et modestia florentissimus;

II.



II. CAROLVS FRIDERICVS CONRAD TSHOERTNERVS,
PAVLLI CONRADI, Doctoris medici et Physici nostri,
cuius NOMEN tantum decoris *Reipublicae Camitiana*e attulit, fi-
lius ornatissimus, idemque patriae scholae Vale dicturus;

III. HENRICVS FRIDERICVS ERDMANN FERBERVS, Ca-
mitianus;

IV. CHRISTOPHORVS GVILIELMVS AVGVSTVS SEIDELI-
VS, Radebergensis;

V. CAROLVS FRIDERICVS GOTTHELF OPITIVS, Camiti-
anus;

VI. IOHANNES GODOFREDVS HOMMELIVS, Steinborn-
Lusat.

VII. IOHANNES GOTTLOB LOTSMANNVS, Hoeckendorf-
Mifn.

VOS, PATRONI et FAVTORES, vt cras, post meridiem hora pri-
ma audita, honestos ciuium nostrorum conatus beneuola audientia
subleuetis, et docentes discentesque fauore VESTRO excitetis, omni,
qua possum, obseruantia rogo. P. P. Camitii, d, X, Maii,
MDCCLXVII.

